

**I. CONSTITUTIONES CONVENTUS CRACOVIENSIS  
DE ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO TRIGESIMO SECUNDO<sup>a</sup>**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres<sup>b</sup>. Manifestum facimus per praesentes, quod nos ad postulationem nuntiorum omnium terrarum regni nostri cum universo senatu in praesenti conventu congregato, constitutiones infra scriptas decrevimus, in quibus partim ea quae fuerunt<sup>c</sup> ambigua, interpretati sumus, partim vero, quae desiderabantur, adiecimus, denique illas in scripto sub sigillo nostro aedi et publicari fecimus<sup>d</sup>, ut et<sup>e</sup> pateant omnibus, et celerem administrandae cuilibet iustitiae praebeant occasionem atque facultatem.

Et<sup>f</sup> si iam antea publicis exigentibus rationibus et communi omnium suadente commoditate, decreveramus in pluribus regni nostri generalibus conventibus, ut omnia regni iura et dudum observata quaevis statuta, a certis designatis iurisperitis<sup>g</sup>, tam spiritualibus, quam saecularibus personis recenserentur, utque in illis contrarietas omnis et noxia dubitandi occasio tolleretur. Quia tamen multis intervenientibus impedimentis, quae ex pluralitate designatarum personarum sero hinc inde convenientium et plerumque invicem dissentientium contingebant, haec res, utcumque in aliqua parte inchoata<sup>h</sup>, hucusque ad exitum perducere non potuit, nos ut necessitati communi et simul in perficiendo maturius opere dignitati nostrae consulamus, primam iurisperitorum designationem ad pauciores numerum redigentes, communi omnium consiliariorum nostrorum consilio, decrevimus et decernimus praesentibus, ut sex tantummodo ex utroque statu viri inferius descripti sint ad eam ipsam expansionem et correctionem iurium designati<sup>i</sup>, qui huc Cracoviam ad diem primam Maii<sup>j</sup> proxime venturi convenientes, statutorum iudicialium obscuritatem, privilegiis et aliis statutis ad iudicia non pertinentibus intactis relictis illustrent, ambiguitatem tollant, et omnia quae illis ad aequanimitatem in iudiciis servandam necessaria<sup>k</sup> videbuntur, in consonantiam reducant, reiectis et abrogatis singulis clausularum nodis, ex quibus in posterum dubitatio, quae hucusque iudices reddebat perplexos, suboriri posset. Quod cum ab illis erit factum, amplius decernimus, ut forma statutorum et iuris iudiciarii, per dictos sex viros emendati<sup>l</sup>, in<sup>m</sup> plura exemplaria redacta, ad conventus particulares deferatur, illicque in praesentia dignitariorum, officialium et reliquorum<sup>n</sup> nobilium personarum, non<sup>o</sup> tumultarie, sed cum attentione omnium perlegatur subindeque<sup>p</sup> nuntii e medio nobilium, sicut dictum est, congregatorum, eligantur, qui forma statutorum et iuris emendati ad generalem proxime tunc futurum conventum relata, vel assentiri omnium nomine dictae emendationi, vel illam pro necessitate rationabili instituire cum nostro totiusque senatus consilio et auctoritate possint, ut tandem pro incertis certae et pro incommodis, commodae, iudiciariae constitutiones efficiantur, et ne amplius per incertam interpretantium contentionem, ab administranda aequa litigantibus iustitia, iudices remorentur. Sunt autem per nos designati iurium et statutorum praedictorum correctores: ex Maiori Polonia generosus Nicolaus Nyemoyevski<sup>q</sup> iudex Iuniwladislaviensis et generosus Matthias Krzissanouski<sup>r</sup> subiudex Posnaniensis, ex Minori vero Polonia generosus Ioannes Pyenyazek de Cruslova<sup>s</sup> iudex Cracoviensis et generosus Bernardus Maczieiowski<sup>t</sup> iudex Sandmiriensis, referendarii nostri. Quibus adiunximus spirituales duos iurisperitos, videlicet venerabiles Nicolaum Zamosczki<sup>u</sup> scholasticum Lanciensem et Georgium Myschkovski<sup>v</sup> canonicum Cracoviensem, secretarios nostros.

<sup>a</sup> Constitutiones conventus Cracoviensis de anno Domini 1532 VL. <sup>b</sup> *Ostatnie trzy wyrazy pominięto w MK1.* <sup>c</sup> fuerant [sic] MK1; fuerant VL. <sup>d</sup> iussimus VL. <sup>e</sup> Brak w VL. <sup>f</sup> W Cim. F. 4148 B. Kórn., gdzie dopisywano ręcznie rubryki poszczególnym przepisom, znajduje się tu dopisek: Correctio iurium ad iudicia pertinencium decreta. W edycji *Acta Tomiciana tu i w dalszym ciągu dodawano w nawiasach numerację arabską poszczególnych przepisów.* <sup>g</sup> inrisperitis [sic] MK1. <sup>h</sup> inchoata MK1. <sup>i</sup> Lub: designavi. *Nieczytelna poprawka w MK1.* <sup>j</sup> Maj VL. <sup>k</sup> Brak w MK1, MK2. <sup>l</sup> emendari MK1; emendata VL. <sup>m</sup> et in VL. <sup>n</sup> reliquarum VL. <sup>o</sup> Słowo dopisane w interlinii. <sup>p</sup> sub inde VL. <sup>q</sup> Stanisław Niemojewski VL. <sup>r</sup> Krzyżanowski VL. <sup>s</sup> Pyenyazek de Cruslova MK1; Pieniązek de Kruslova VL. <sup>t</sup> Bernhardus Maczieiowski MK1; Bernardus Macieiewski VL. <sup>u</sup> Zamoyski VL. <sup>v</sup> Mischkowski B. Kórn.; Myskowski VL.

Quoniam<sup>w</sup> autem in regno nostro non solum scriptae constitutiones, sed et consuetudines inveteratae pro lege in pluribus locis observantur, statuimus, ut singuli palatini consuetudines sui quisque palatinatus conscribant et huc Cracoviam ad primam Maii mensis diem ad nos mittant, illas enim, sicuti et reliqua iura correctorum iudicio commitemus, ut aequae in hiis, ut in reliquis statutis, aequanimitas et uniformis iudiciorum modus, contrariis et obscuris ambiguisque interpretationibus reiectis, statuatur.

Crebro<sup>x</sup> iam experti constitutionem seu decretum, quod Ostrorogii<sup>y</sup> nomine inscribitur, subditorum nostrorum rationes gravare, ne deinceps querelis et offensionibus mutuis aliqua subsit occasio et ut peraeque diviti ac pauperi iustitia ministretur, statuimus, ut si quispiam aliquem dominorum vel nobilium, subditorum nostrorum, citaverit, quod scitu, mandato et voluntate sua quidpiam per servos et ministros eius ad iniuriam<sup>z</sup> sibi factum fuerit, dominus seu nobilis iustitiam cum eiusmodi servis suis ministrare tenebitur cum apud eum fuerint arestati per ministerialem et nobiles. In defectu vero iustitiae, is ipse nobilis seu dominus citatus pro hiis duntaxat respondere et se purgare debebit, quae attinent violentiam<sup>aa</sup> domus et personae invasionem vel nobilis alicuius necem seu vulnerationem, iuxta tenorem statuti per regem Albertum super hac re conditi<sup>1</sup>. De aliis vero iniuriis, ut puta de percussione aut vulneratione plebei alicuius, item de seminum vel frugum in agris et gravaminum<sup>ab</sup> in pratis conturbatione, conculcatione, depascione et aliis id genus minoris momenti commissis, si alter alterum in hunc modum citaverit, quod scitu, mandato et voluntate illius aliqua istiusmodi iniuria per unum vel plures servos non possessionatos affectus fuerit, statuimus, ut qui iniuriam passus fuerit, iustitiam sibi ministrari a servi vel plurium servorum domino postulare, dominus vero servorum illam ministrare teneatur, si arestati servi apud dominum suum per nobiles et ministerialem terrestrem fuerint. Quod si vero inculpati de crimine unus vel plures cuiuspiam domini servi fuerint possessionati, illos actor iniuriam passus et non dominum illorum de commisso crimine in iudicio et foro<sup>ac</sup> competenti conveniet.

Ut<sup>ad</sup> deinceps calumniantium iniquitas et periuriorum licentia refrenetur et cohibeatur, statuendum duximus et statuimus praesentibus, ut qui in iudicio litteras parti eius adversae de falsitate suspectas producit, parte contendente et postulante actis iudicialibus terrestribus illas comprobare teneatur, ad quae acta cum producens litteras se retulerit ac remitti postulaverit, dari illi debet dilatio ad primos terminos terrestres, actionem introductam immediate consequentes, in quibus si docuerit litteras suas esse in actis, comprobare illas allis modis probationum non teneatur. Cum autem producens litteras actis terrestribus probare illas non suffecerit<sup>ae</sup>, in hoc casu nominare ibidem is ipse producens teneatur<sup>af</sup> decem et octo<sup>af</sup> testes, nobiles possessionatos, bonae integraeque fidei et famae viros, ex quibus per eum, qui suspectas de falsitate asserit esse litteras, viri sex deligentur, qui simul cum ipso producente eiusmodi suspectas litteras iureiurando illas non esse falsas sed legitime ex actis iudicialibus emanatas comprobare debebunt. Si vero producens litteras actis illas veras et legitimas esse probaverit, ille tum demum, qui temere falsitatem litteris obiecit, quattuordecim marcarum pecuniae communis poena parti applicanda puniatur et ultra haec in tribus mercis pecuniarum iudicio ibidem statim solvendis condemnatur. Ubi vero acta et libri iudiciorum non extarent, sive incendio absumpti seu vi ac iniuria hostili vel quocumque alio fortuito casu deperditi, satis esse censemus, ut in eo casu litteras de falso suspectas probet quisque<sup>ag</sup> et purget secundum consuetudinem antiquam, hoc est suo et duorum<sup>ah</sup> testium nobilium<sup>ah</sup> possessionatorum, bonae ac non inculpatae famae, corporali iuramento. Ab obviandum vero futuris falsitatibus volumus et decernimus, ut notarii terrestres omnes litteras iudicii terrestres manibus propriis subscribant. Litteras vero castrenses subscribant<sup>ai</sup> vel soli capitanei, vel eorum iudices castrenses.

<sup>w</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De conscribendis consuetudinibus in palatinatibus. <sup>x</sup> *W B. Kórn. dopisek*: Declaratum statutum Ostrorog suo scitu, voluntate, mandato. <sup>y</sup> *Ostrorogi MK2, VL*. <sup>z</sup> *adiuriam MK2*. <sup>aa</sup> *violentam AT*. <sup>ab</sup> *Tak w MK1. W MK2, VL, AT*: *graminum*. <sup>ac</sup> *in foro VL*. <sup>ad</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De literis productis in iudicio. <sup>ae</sup> *fererit VL*. <sup>af</sup> *af octodecem VL*. <sup>ag</sup> *Brak w MK1*. <sup>ah</sup> *nobilium testium MK1*. <sup>ai</sup> *subscribant MK2, AT*.

<sup>1</sup> *Por. wyżej, nr II — statuty piotrkowskie 1496 r., pkt 74.*

Plebeius<sup>aj</sup> nobilem occidens, cui nullam causam vel occasionem se invadendi nobilis praestiterit, nec initium contentionis vel percussionis cum eo fecerit, poena capitis puniatur. Vulnerans vero plebeius nobilem, cui similiter occasionem se vulnerandi nobilis non praebuit<sup>ak</sup>, poena capitis puniatur, hoc tamen intelligi debet de vulnere gravi, ex quo sequitur mutilatio vel invaliditas alicuius membri nobilis vulnerati. Quod si nulla ex huiusmodi vulnere mutilatio et invaliditas alicuius membri consequetur, poena pecuniaria secundum antiquum statutum plebeius puniatur. At ubi nobilis causam et occasionem occisionis vel vulnerationis suae plebeio praebuerit, punietur plebeius secundum antiqua statuta de vulnerato vel occiso nobili condita<sup>2</sup>. Ut autem constare iudici possit, data nec ne fuerit plebeio causa vel occasio vulnerandi nobilem, quilibet nobilis plebeium de vulnere aut nece accusans, probare teneatur suo et duorum sibi similium nobilium corporali iuramento, id, quod asserit verum esse, expresse hoc verbis nuncupans, quod non<sup>al</sup> ex initio a se facta, neque causa aut occasione per se data plebeius illum vulnere seu nece affecerit, alioquin nobilis in huiusmodi probatione deficiens non poterit plebeium in poenam superius expressam conicere. Nihilominus tamen plebeius vulnerans quomodocumque aut occidens nobilem poena in antiquis statutis praescripta punietur. Hoc autem<sup>am</sup> statutum, cum sit poenale, ad tres dumtaxat annos valere et observari debere decernimus.

In<sup>an</sup> petitione facta de exsequendis officiis palatinorum, capitaneorum et aliorum officialium terrestrium, etsi sciamus expressa super<sup>ao</sup> eo esse scripta statuta<sup>3</sup> poenasque in illis contra negligentes sua officia esse adhibitas, nihilominus tamen nuntiorum et nobilitatis regni nostri petitioni satisfaciendes, dabimus ea de re litteras nostras ad praedictos palatinos, capitaneos et alios dignitarios seu<sup>ap</sup> officiales, quibus ad satisfaciendum debito suo illos commonebimus<sup>aq</sup>. Hac eadem ratione in petitione de golotis et inquillinis vagabundis facta constituimus et decernimus, ut statuta super his iam dudum condita<sup>4</sup> per capitaneos locorum diligenter exsequantur, ad quos etiam admonitionis causa litteras dari faciemus.

Consulentes<sup>ar</sup> commoditati rei communis domesticae regni nostri, quae plerumque fugitivorum colonorum seu kmethonum vel filiorum eorum malitia ita defraudatur, ut multi subditorum nostrorum ex defectu laborantium et servitorum in laboribus necessariis negligantur<sup>5</sup>, statuimus et decernimus, ut quicumque colonus seu kmetho, hortulanus seu quivis alius subditus vel filii eorum, invito et inscio domino suo, in alienas provincias fugientes, se transferant, per capitaneos et eorum vicesgerentes, denique per officiales civitatum et oppidorum, ad quae devenerint, capiantur et capti operibus servilibus adhibeantur tam diu, donec dominus detenti vel detentorum illos inventos repetierit, repetente enim domino subditum et docente illum esse suum, capitanei et eorum vicesgerentes civitatum et oppidorum officiales, illum extradere debebunt irrecuse, receptis prius ab eo, qui subditum suum repetit<sup>as</sup>, duodecim grossis, quos illi pro opera et diligentia in detinendo subdito adhibita, solvendo fore decernimus.

In<sup>at</sup> eo, quod petitum est, ut diligentiores fiant capitanei locorum in coërcendis malefactoribus

<sup>aj</sup> *W B. Kórn. dopisek*: de homicidiis nobilium per plebeos. <sup>ak</sup> *praebuit MK2*. <sup>al</sup> *Brak w MK2*. <sup>am</sup> *est autem MK2*. <sup>an</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De holotis et vagabundis executio statuti. <sup>ao</sup> *Słowo w MK2 dopisane w interlinii*. <sup>ap</sup> *et VL*.

<sup>aq</sup> *commovebimus MK1*. <sup>ar</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De repetendis fugitivis. <sup>as</sup> *reperit VL*. <sup>at</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De cohercendis malefactoribus.

<sup>2</sup> *Ibidem*.

<sup>3</sup> *Jest to powołanie się na liczne uprzednie akty prawne z lat 1454, 1496, 1503, 1505, 1510, 1519 i 1523. Por. w niniejszym wydawnictwie nr II pkt 32 — statuty nieszawskie z 1454 r.; nr II — statuty piotrkowskie z 1496 r., pkt 68; nr VIII, I — sejm walny piotrkowski z 1503 r.; nr XI, I, pkt 19 — sejm walny radomski 1505 r.; nr XVII, I, pkt 5 — sejm walny piotrkowski 1510 r.; nr XXVII, I, pkt 15 i 29 — sejm walny piotrkowski 1519 r.; nr XXXII, I, pkt 1 — sejm walny piotrkowski 1523 r.*

<sup>4</sup> *Por. wyżej, nr XXVII, I, pkt 30 — sejm walny piotrkowski 1519 r.; nr XXXII, I, pkt 2 — sejm walny piotrkowski 1523 r.*

<sup>5</sup> *Por. wyżej, nr I, I, pkt 11 — statuty piotrkowskie 1493 r.; nr II, pkt 47 — statuty piotrkowskie z 1496 r.; nr XXIX, I, pkt 7 — sejm walny bydgoski 1520 r.*

capitaneatum suorum, dabimus litteras ad eos capitaneos, qui in exercendis hiis, quae ad eorum officium et debitum spectant, censerentur esse negligetiores<sup>6</sup>.

Postulantibus<sup>au</sup> terrarum nuntiis, ut libera sit navigatio fluviorum in statutis dudum descriptorum<sup>7</sup>, respondendum ex unanimi consensu consiliariorum nostrorum duximus, respondemus<sup>av</sup> decernimusque praesentibus, ut fluviorum in statutis, dudum super hac re confectis, expressorum et aliorum navigabilium obstacula, aggeres et alia quaevis impedimenta cuilibet sursum deorsumve naviganti pervia reddantur et ut contra secus facientes per locorum capitaneos executio statutorum et poenae in illis descriptae extendantur.

De<sup>aw</sup> incendiis et aliis violentis invasionibus domorum et iniuriis, quae a Myschka, Berka et reliquis praedonibus Slesitis, Regno Poloniae et eius incolis inferuntur<sup>8</sup>, censemus cum toto senatu ita providendum, ut ex publicis contributionibus certus numerus equitum in praesidiis finium<sup>ax</sup> terrarum Maioris Poloniae et Slesiae collocetur, qui huiusmodi violentias et iniurias hostiles inferri non permittant tenerique et servari is ipse numerus equitum debebit hoc anno, alias quam diu fines et terrae illae non pacificabuntur. Restituta autem pace et pacificatione sublatoque metu a violentiis praedonum praedictorum numerus ille equitum<sup>ay</sup>-servari amplius<sup>ay</sup> non debebit et amplius declaratis serenissimo regi Ferdinando et principibus aliisque ordinibus Slesiae iniuriis et damnis subditorum nostrorum, nisi praedones post declarationem factam a vi et iniuriis inferendis contineantur et pro illatis damnis satisfaciant, statutum, quod de non inferendo bello vel inimicitii non denunciandis cavet, relaxabimus et ut unicuique in posterum vim vi repellere liceat, permittemus.

Ad<sup>az</sup> submovendam dubitationem, quae circa statutum de raptu virginum et feminarum conditum oriri saepe solet<sup>9</sup>, visum est nobis et senatui nostro per praesens decretum illius intelligentiam ita<sup>ba</sup> declarare, ut cum raptor virginis aut<sup>bb</sup> mulieris viduae seu coniugatae, ad praesentiam nostram pro raptu commisso citatus fuerit, tum demum secundum antiquiora statuta iure esse convictur in privatione honoris intelligatur, cum virgo aut mulier vidua<sup>bc</sup> seu coniugata, in praesentia nostra constituta, confessa fuerit sibi per raptorem citatum vim fuisse illatam et se contra eius voluntatem et consensum<sup>bd</sup>-per illum<sup>bd</sup> esse raptam, per hanc enim raptae virginis vel mulieris, viduae seu coniugatae, confessionem raptor citatus ad extendendum contra se poenam privationis honoris censeatur esse sufficienter iure convictus, alioquin rapta virgine vel muliere, vidua seu coniugata, per expressum in praesentia nostra confitente et affirmante se non per vim citati esse raptam, sed voluntate et consensu suo proprio undecunque abductam, citatus de raptu a poena statuti honoris privationis liber esse censeatur. Virgo vero seu mulier vidua aut coniugata, <sup>bc</sup>-ad quarum omnium personas et nomina legem hanc diu statutam et observatam, pertinere et extendi volumus ac declaramus<sup>bc</sup>, post factam huiusmodi voluntatis et consensus sui confessionem bonis omnibus hereditariis et quibusvis aliis ipsam concernentibus bonis et rebus doteque sibi debita perpetuis temporibus privabuntur.

De<sup>bf</sup> communitatibus, quas fraternitates seu *cechi*<sup>bg</sup> in civitatibus et oppidis vocant, non visum est nobis cum senatu quidquam immutare, nam et illae ipsae communitates seu fraternitates post verum statutorum decreta<sup>10</sup> ubique reperiuntur hucusque toleratae et novis ac antiquis litteris

<sup>au</sup> *W B. Kórn. dopisek*: Ut fluvii sunt navigabiles. <sup>av</sup> et respondemus *VL*. <sup>aw</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De raytaris. <sup>ax</sup> *Brak w VL*. <sup>ay-ay</sup> amplius servari *AT*. <sup>az</sup> *W B. Kórn. dopisek*: Declarant statut de raptu virginum. <sup>ba</sup> prius *MK2*. <sup>bb</sup> *Brak w MK2*. <sup>bc</sup> sive vidua *MK2*. <sup>bd-bd</sup> *Zamiast per illum — ullum VL*. <sup>bc-bc</sup> *Słowa w VL ujęte w nawias*. <sup>bf</sup> *W B. Kórn. dopisek*: De fraternitatibus in civitatibus. <sup>bg</sup> *czechi MK1; czechy VL*.

<sup>6</sup> *Por. wyżej, nr XIV, I, pkt 11 — sejm koronacyjny krakowski 1507 r.*

<sup>7</sup> *Por. wyżej, nr II, pkt 43 — statuty piotrkowskie 1496 r.; nr XVII, I, pkt 11 — sejm walny piotrkowski 1510 r.; nr XIX, I, pkt 2 — sejm walny piotrkowski 1511; nr XXVIII, I, pkt 1 — sejm walny toruński 1519 r.*

<sup>8</sup> *Więcej na ten temat: AT, t. XIV, s. 55.*

<sup>9</sup> *Por. wyżej, nr II, pkt 13 — statuty niezawskie 1454 r. i pkt 79 — statuty piotrkowskie 1496 r. oraz AT, t. XIV, s. 55, przyp. 11.*

<sup>10</sup> *Odnosi się to do statutu warckiego 1423 r., VL, t. I, s. 81, 82 (tematowi temu poświęcona jest praca St.*

et privilegiis roboratae et subditi cuiuscunque status regni nostri ex eorum ordinationibus, privilegiis rationabilibus<sup>bh</sup> roboratis, nihil incommodi sustinere videntur, ubi per palatinos et alios officiales seu dignitarios illis abuti non permittuntur. Quamobrem cum senatu universo statuimus et decernimus, ut deinceps palatini cum dignitariis et officialibus ab hac provinciam obeundam sibi adiunctis provideant iuxta tenorem et decreta statutorum de pretio rerum venalium et salario mechanicorum antea conditorum<sup>bi</sup>, ne quidpiam contra aequitatem et dispositionem statutorum tam in rebus venalibus ad communem omnium<sup>bj</sup> usum necessariis quam in operis et pretio artificum<sup>bk</sup> mechanicorum solvendo, admittatur.

Permoti<sup>bl</sup> iniuriis subditorum nostrorum, quibus se per nostros vectigalium seu teloneorum praefectos eorumque ministros affici propterea querebantur, quod pro pecunia ratione telonei seu vectigalis solvenda extra districtum et forum eorum competens ad praesentiam nostram regiam evocarentur, providere volumus, ne in posterum praefecti vectigalium et teloneorum nostrorum aliquem subditorum nostrorum status et conditionis cuiuscunque cameram teloneo solvendo institutam transire permittant, nisi soluto prius teloneo vel vectigali nobis et fisco nostro regio debito, ut hoc modo occasio subditos nostros ex eorum districtu et foro competenti evocandi submoveatur, alioquin praefecto telonei nostri solutionem ipsius telonei contra mandatum et prohibitionem nostram cuiquam deferenti incumbat necessitas illud ipsum teloneum seu vectigal debitum in districtu et foro debitoris competenti repetere, nobis vero, litispendentia huiusmodi minime obstante, de proventibus telonei et vectigalium nostrorum integre respondere.

Suadente<sup>bm</sup> commodo ex libertate commerciorum inter regna et dominia vicina proveniente, statuimus, ut tam subditi regni nostri extra regnum educendi, quam advenae undecunque venientes apud nostros subditos in regno nostro emendi et evehendi omnis grani frumenta, liberam habeant facultatem, prohibitione capitaneorum vel officialium civitatum non obstante, nisi<sup>bn</sup> regni nostri<sup>bn</sup> urgens vel evidens utilitas aliud suaserit, quod arbitrio et moderationi nostrae volumus esse reservatum.

Salis<sup>bo</sup> venditionem et eius subministrationem recipimus ita nos procuraturos esse, ut et sal pretio solito vendatur et copia illius, quoad fieri poterit, ubique habeatur.

Quamvis<sup>bp</sup> sciamus id, quod cuiusque iudicis officio in celebrandis iudiciis terrestribus et castrensibus incumbat, quia tamen praeter officium multa committi per iudices a subditis nostris edocti sumus<sup>bq</sup>, mandabimus et mandamus omnibus in officiis iudiciariis constitutis, ut iuxta formam statutorum iudicia temporibus statutis celebrent et ad alia tempora inconsueta illa non transponant sub poenis in statutis expressis, contra eos editis<sup>11</sup>.

Utunque<sup>br</sup> persuasum sit nobis proventus officialibus et dignitariis quibusvis debitos per eos, quorum interest, integre solvi solere, quia tamen nonnulli in praesenti conventu se in solutione proventuum<sup>bs</sup> huiusmodi negligi sunt questi, mandabimus, prout et mandamus praesentibus universis, <sup>bt</sup>ad quos huiusmodi proventuum solutio pertinet, ut illis<sup>bt</sup>, quibus ipsi proventus debentur, citra omnem moram extradantur.

Prospicientes<sup>bu</sup>, ne inter ordinem spiritualium et saecularium subditorum regni nostri propter indebitas ad fora impertinentia evocationes odia et simultates excitentur, decrevimus et

<sup>bh</sup> rationalibus VL. <sup>bi</sup> additorum MK<sup>2</sup>. <sup>bj</sup> Brak w AT. <sup>bk</sup> artificiorum MK<sup>2</sup>. <sup>bl</sup> WB. Kórn. dopisano: De solvendis theloneis. <sup>bm</sup> W B. Kórn. dopisano: De libera empcione frumentorum advenis. <sup>bn-bn</sup> nostri regni VL. <sup>bo</sup> W B. Kórn. dopisano: De salis copia. <sup>bp</sup> WB. Kórn. dopisano: Ut iudicia non transponantur. <sup>bq</sup> simus B. Kórn. <sup>br</sup> WB. Kórn. dopisano: De soluendis proventibus solitis officialibus. <sup>bs</sup> Brak w VL. <sup>bt-bt</sup> Brak w VL. <sup>bu</sup> W B. Kórn. dopisano: De evocatione saecularium ad forum spirituale.

Grodziskiego, *Stosunek szlachty do cechów w świetle statutu warckiego*, CPH, t. VI — 2, 1954, s. 177–195). Por. też w niniejszym wydawnictwie: nr II, pkt 32 — statuty nieszawskie 1454 r. i pkt 68 — statuty piotrkowskie 1496 r.; nr XIV, I, pkt 14,15 — sejm koronacyjny krakowski 1507 r.; nr XVII, I, pkt 5 — sejm walny piotrkowski 1510 r.; nr XIX, I, pkt 11 — sejm walny piotrkowski 1511 r.; nr XXVII, I, pkt 15 — sejm walny piotrkowski 1519 r.; nr XXXII, I, pkt 1 — sejm walny piotrkowski 1523 r.

<sup>11</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 36 — statuty piotrkowskie 1496 r. oraz nr XV, I, pkt 20 — sejm walny krakowski 1508

decernimus praesentibus, ut domini archiepiscopus et episcopi cum coetu et congregatione suorum ecclesiasticorum in synodo per eos primo quoque tempore celebranda constituent, qua poena quisque spiritualis pro re mere saeculari saecularem ad ius spirituale evocans sit puniendus et ut correctores iurium per nos designati ad primam diem<sup>bv</sup> Maii huc Cracoviam venturi secernant, definiant et conscribant diligenter, quae causae saeculares et foro saeculari pertinentes, quaeve spirituales<sup>bw</sup> vel spirituali annexae et ad forum ecclesiasticum pertinentes censi debeant, ut nemo deinceps ignorantiam iudicii competentis praetendere et poenam in se constitutam declinare possit.

De<sup>bx</sup> conspiciendis per seniores Iudaeorum pignoribus ad Iudaeos allatis, non videtur nobis factu conveniens, cum singuli pignorat<sup>by</sup> id maxime vitare et cavere soleant, ne in egestate et indigentia sua cuiuspiam detegantur, sed mandabimus, ut res oppignoratae et dies earum oppignoracionis secundum veterem consuetudinem in libris Iudaeorum inscribantur.

Probatio<sup>bz</sup> vulnerum vel occisionis cuiuspiam, volumus et decernimus, ut fiat secundum<sup>ca</sup> statutum antiquum, quia illi non est derogatum.

De<sup>cb</sup> colloquiis generalibus celebrandis non est necessarium aliquid de novo constituere, sed volumus et decernimus, ut statuta condita ponantur in debitam executionem<sup>12</sup>.

Volumus<sup>cc</sup> et decernimus<sup>cd</sup>, ut capitanei praeter articulos in statuto expressos nullas alias causas iudicent, etiam si quis vel non comparuerit, vel ex ignorantia iurisdictionem capitanei prorogaverit. Et si quid in contrarium fecerint, eorum iudicium nullitatis vitio cassetur<sup>13</sup>.

Iudices<sup>ce</sup> terrestres ac castrenses nec non subiudices et notarii terrestres sint iurati, iuxta tenorem statuti super eo conditi<sup>14</sup> et officia illis incumbentia diligenter curent et per semetipsos explent. Notarii tamen terrestres substitutos seu vicenotarios<sup>cf</sup>, qui in scribendo duntaxat illos adiuvent, habere permittamus, hoc expresso, ut ipsimet praesentia sua tam iudicis terrestribus quam repositioni librorum et aliis iuridicis actibus intersint et litteras ac<sup>cg</sup> rescripta quaecunque ex actis terrestribus in pergamento et papyro extradenda manu sua subscribant.

De<sup>ch</sup> appellationibus, quae a sententiis seu decretis iudiciorum terrestrium, castrensi<sup>um</sup> et aliorum quorumvis ad terminos generales tempore Quadragesimae celebrandos, vel ad conventum generalem regni nostri extunc in proximo celebrandum fieri solent declaramus et ita observari

<sup>bv</sup> Brak w VL. <sup>bw</sup> spiritualis MK1, MK2. <sup>bx</sup> W B. Kórń. dopisano: De pignoribus apud Iudeos. <sup>by</sup> pignorantes MK1.

<sup>bz</sup> W B. Kórń. dopisano: Probatio vulnerum et occisionis. <sup>ca</sup> iuxta MK2, VL. <sup>cb</sup> W B. Kórń. dopisano: De celebracione colloquiorum. <sup>cc</sup> W B. Kórń. dopisano: De iudiciis capitaneorum. <sup>cd</sup> statuimus MK2, VL. <sup>ce</sup> W B. Kórń. dopisano: De iuramento iudicis, subiudicis et notarii. <sup>cf</sup> vicecapitaneos MK1. <sup>cg</sup> et AT. <sup>ch</sup> W B. Kórń. dopisano: De appellationibus.

<sup>12</sup> Por. wyżej, nr XIX, I, pkt 15 — sejm walny piotrkowski 1511 r.

<sup>13</sup> Z przepisem tym pozostaje w związku tekst, który wciągnięty został do zbioru o nazwie *Puncta in iudiciis terrestribus et castrensibus observanda, anno 1544 conscripta* (ed. M. Bobrzyński, Kraków 1882, nr 98, s. 230), treści następującej: De declinatione iurisdictionis capitanealis. Statutum de declinatione iurisdictionis capitanealis per ignorantiam, in conventionem generali die sanctorum Sebastiani et Fabiani martyrum [20 I] anno Domini 1532 sancitum, ita est intelligendum. Si quis ex ignorantia iurisdictionem capitanealem declinaverit, videlicet quod se permisit in primo termino in poena contumaciae condemnare et postea secunda citatione citatus respondeat, ex qua responsione proveniens seu ante condemnationem in lucro parti citatae nihil nocere debet, et si quid iudicium vel officium capitaneale in contrarium fecerit, nullitatis vitio cassetur, ut statutum disponit. Et ita, dum pars citata vel ex decreto et remissione facta vel ex condemnatione in lucro fuerit ad satisfactionem condemnata pro his omnibus, pro quibus est condemnata, et postea vellet se tutari, citando partem actoream pro importatione citationis in illo termino satisfactionis, volens per hoc concitationem satisfactionis impugnare, id iam iure facere non potest, quia ex responsione lata est sententia pro ea re, pro qua fuerit citata, vel quia est condemnata in lucro, sed simpliciter pro concitatis debet facere, facta responsione super concitationem. Et pars actorea debet absolvi a concitatione, qua sit citata pro importatione citationum, quia non de tempore, et debet parti actoreae addi ministerialis ad intromittendum in perlucris et damnis ex principalitate secutis, de forma iuris.

<sup>14</sup> Por. wyżej, nr XXVII, I, pkt 24 — sejm walny piotrkowski 1519 r.

decernimus, ut tam appellanti quam eius parti adversae liceat appellationem prosequi in conventionione generali vel in<sup>ci</sup> terminis generalibus, quod illorum post appellationem factam prius celebrari contingerit<sup>cj</sup>, iuxta normam in processu iudiciario novi statuti descriptam<sup>15</sup>.

Quo<sup>ck</sup> salario pro litteris et notis notarii terrestres vel<sup>cl</sup> castrenses contenti esse debeant, tametsi statuta per nos et antecessores nostros condita<sup>16</sup>, sufficienter declarent, quia tamen hii ipsi notarii ultra modum praescriptum a dilatione termini vera infirmitate vel cassatione inscriptionis cuiuspiam solutionem memorialis per quattuor grossos exigunt, statuimus, ut notarii terrestres et castrenses in exigendo salario a notis, litteris et aliis inscriptionibus modum in statutis desuper confectis expressum observent a dilatione termini vera infirmitate vel cassatione inscriptionis non nisi unum grossum ratione memorialis et pro nota exigant, sub poenis in statutis prioribus contra eos sancitis.

Arestandi<sup>cm</sup> colonos seu kmethones fugitivos in terris Russiae, cum nunc certum modum reperire et constituere ante omnium iurium regni nostri correctionem nequeamus, volumus et censemus, ut interea quam iura omnia corrigerentur<sup>cn</sup> et in unam formulam reducentur, observetur modus arestandi kmethones iuxta formulam in statutis novis seu iudiciario processu contentam<sup>17</sup>.

Praescriptiones<sup>co</sup> terrestres, quae in aliis terris regni nostri currunt, etiam in terris nostris<sup>cp</sup> Russiae currere volumus et decernimus, praeter eas terras et districtus, in quibus propter hostilitatem iudicia celebrari et agi<sup>cq</sup> non possunt nec celebrantur.

Declarantes<sup>cf</sup> statutum de limitibus bonorum non secundum litteras et signa in eis descripta sed secundum senum testimonia faciendis<sup>18</sup>, statuimus intelligi debere tum demum litterariam probationem in limitatione bonorum non procedere, cum litterae antiquatae, seu datae ac emanatae re oculis non subiecta vel etiam in abusum redactae aut incertae comperientur. Cum vero litterae commissariorum nostrorum signa metalia et limitationem bonorum nostrorum cum bonis nobilium vicinorum in se continentes, per nos confirmatae, vel litterae sub titulo et sigillo succamerarii vel iudicii terrestres, limitationem bonorum utrimque hereditariorum subditorum nostrorum in se continentes, fuerint coram nobis vel alias ubilibet in iudiciis productae, litteris huiusmodi ubique fidem indubiam adhibendam fore et limitationem bonorum tam nostrorum quam hereditariorum iuxta illarum continentiam firmam esse et validam decernimus.

Capitanei<sup>cs</sup> locorum de iniuriis vicinis suis vel capitaneatus sui subditis illatis respondere tum demum coram nobis debebunt, quando ex officio suo aliquid admiserint, vel in tuendis bonis nostris modum excesserint. Si quid vero ut privati commiserint, in foro competenti respondere cuilibet de se querenti tenebuntur. Praeterea, si etiam capitanei nostri sub praetextu defensionis bonorum nostrorum gravem alicui subdito nostro in eius bonis iniuriam intulerint et posthac cum bona nostra a bonis subditorum nostrorum limitabuntur, depraesensum fuerit capitaneum nostrum in hiis bonis, quae non erant nostra, sed eiusdem subditi nostri iniuriam illi aut damnum intulisse, is ipse capitaneus damnum a se nobili et subdito nostro in eius bonis factum resarcire teneatur.

De<sup>ct</sup> inhibitionibus iuri communi et statutis regni contrariis, non concedendis<sup>cu</sup>, mandabimus, ut cancellariae nostrae praesidentes in contrarium statutorum<sup>19</sup> illas nemini concedant et si concesserint, illae iuxta statutorum praescriptum nullae censeantur.

<sup>ci</sup> Brak w MK<sub>1</sub>, B. Kórn., VL. <sup>cj</sup> contigerit MK<sub>1</sub>, B. Kórn., VL. <sup>ck</sup> W B. Kórn. dopisano: De salariis notariorum. <sup>cl</sup> et MK<sub>1</sub>, VL. <sup>cm</sup> W B. Kórn. dopisano: De arestandis fugitivis. <sup>cn</sup> corrigentur MK<sub>1</sub>, VL. <sup>co</sup> W B. Kórn. dopisano: Praescriptiones in Russia habeant [locum?]. <sup>cp</sup> Brak w VL. <sup>cq</sup> Słów: et agi brak w VL. <sup>ct</sup> W B. Kórn. dopisano: Declaratio statuti de limitibus. <sup>cs</sup> W B. Kórn. dopisano: De iniuriis per capitaneos illatis. <sup>ct</sup> W B. Kórn. dopisano: De inhibitionibus. <sup>cu</sup> excedendis MK<sub>2</sub>.

<sup>15</sup> Por. wyżej, nr XXXII, II, pkt 16 — sejm walny piotrkowski 1523 r., Formula processus iudiciarii.

<sup>16</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 18 — statuty niezawskie 1454 r.; nr XVII, I, pkt 20 — sejm walny piotrkowski 1510 r.; nr XIX, I, pkt 20 — sejm walny piotrkowski 1511 r.; nr XXVII, I, pkt 14 — sejm walny piotrkowski 1519 r.; nr XXIX, I, pkt 9 — sejm walny bydgoski 1520 r.

<sup>17</sup> Por. wyżej, nr XXXII, II, pkt 97 — sejm walny piotrkowski 1523 r., Formula processus iudiciarii.

<sup>18</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 80 — statuty piotrkowskie 1496 r., oraz nr XXVII, I, pkt 8 — sejm walny piotrkowski 1519 r.

<sup>19</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 10 — statuty niezawskie 1454 r. i pkt 84 — statuty piotrkowskie 1496 r.

Querela<sup>c<sub>v</sub></sup> subditorum nostrorum permoti, qui se plerumque gravari sentiunt, cum per bonorum<sup>c<sub>w</sub></sup> regalium tenentarios seu capitaneos ad exhibendum litteras super bona eorum hereditaria et perpetua illorum proprietate eo praetextu, tanquam ipsa bona regalia essent, adigantur, decernimus et statuimus ut nemo capitaneorum seu tenentiariorum nostrorum aliquem ex regni nostri incolis ad exhibendum huiusmodi litteras compellere audeat, nisi ipse capitaneus vel tenentarius indicium certum vel litteras quascunque habuerit, ex quibus bona illa esse nostra regalia et non hereditaria conicere possit. In tali enim casu possessor bonorum illorum super sua proprietate litteras exhibere et producere teneatur.

De<sup>c<sub>x</sub></sup> militibus mercenariis vel nobilitate ad servitium bellicum proficiscentibus vel inde redeuntibus<sup>c<sub>y</sub></sup> capitaneus exercituum regni nostri<sup>c<sub>z</sub></sup> et palatini seu castellani locorum providere debent, ne subditis spiritualium vel saecularium aliqua damna vel violentiae contra regni constitutiones et privilegia<sup>20</sup> inferantur et si illatae fuerint, ut ad solutionem et satisfactionem damnorum et iniuriarum<sup>d<sub>a</sub></sup> illas inferentes compellantur. Cum vero milites mercenarii ex servitio vel nobiles regni nostri ab expeditione bellica domum revertentes aut reversi aut in propriis agentes alicui damna intulerint, nos iustitiam cuilibet de illis facere et administrare pollicemur, vel officiales nostri ministrabunt iuxta statutum regni nostri.

Celebrationes<sup>d<sub>b</sub></sup> conventuum particularium terrae Lublinensis ex oppido Urzandow<sup>d<sub>c</sub></sup> in civitatem Lublinensem transferri mandabimus, iuxta petitionem nobilitatis per nuntios terrestres factam.

Commissiones<sup>d<sub>d</sub></sup> in aliis casibus, quam qui in dispositione statuti continentur<sup>21</sup>, dari prohibebimus et datas nullas esse volumus et decernimus. Commissiones tamen ad dividenda bona tam inter fratres germanos, quam inter alios quosvis consanguineos, qui ad aliqua bona par ius succedendi habent, quantumcumque remotos, locum habere debere declaramus et decernimus. Quod si quis repellere volens eum, qui divisionem bonorum petit, negat sum esse consanguineum vel ius succedendi ad bona huiusmodi habere, in tali casu commissarii a dividendis bonis supersedere et decisionem controversiae super propinquitate et successione ad iudicium terrestre remittere debebunt.

Nuntii<sup>d<sub>e</sub></sup> omnium terrarum regni instanter petentibus senatoribusque<sup>d<sub>f</sub></sup> universis assentientibus, decernendum duximus et decernimus, ut statutum contra homicidas anno Domini millesimo quingentesimo decimo in conventu Pyotrkoviensis<sup>d<sub>g</sub></sup> editum<sup>22</sup>, ad trium annorum decursum innovetur, prorogetur et in executionem ponatur. Cuius vigore et iuxta illius dispositionem omnia homicidia a die inchoati praesentis<sup>d<sub>h</sub></sup> conventus commissa et postea ad trium annorum decursum committenda, puniri debebunt.

Libram<sup>d<sub>i</sub></sup> et pondus, quam adaequari nuntii terrae Plocensis librae et ponderi civitatis nostrae Posnaniensis petierunt, palatinus, capitaneus, castellani ceterique officiales terrae Plocensis, advocatis a se civibus et mercatoribus civitatis nostrae Plocensis, illam mandato nostro coaequabunt et aequivalentem constituent, prout eis melius et commodius videbitur.

Perspicientes<sup>d<sub>j</sub></sup> magnam reipublicae afferre iacturam consuetudinem in exigendis et comportandis<sup>d<sub>k</sub></sup> regni laudatis<sup>d<sub>k</sub></sup> contributionibus in regno nostro<sup>d<sub>l</sub></sup> servari dudum<sup>d<sub>l</sub></sup> solitam,

<sup>c<sub>v</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De producendis litteris per possessorem in bonorum. <sup>c<sub>w</sub></sup> *MK<sub>2</sub> dodaje*: nostrorum.

<sup>c<sub>x</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De damnis per stipendiarios illatis. <sup>c<sub>y</sub></sup> *redeudentibus MK<sub>2</sub>*. <sup>c<sub>z</sub></sup> *Brak w MK<sub>1</sub> i VL*. <sup>d<sub>a</sub></sup> *Dwu ostatnich wyrazów brak w VL*. <sup>d<sub>b</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De conventu Lublinensi particulari. <sup>d<sub>c</sub></sup> *Urzędów VL*.

<sup>d<sub>d</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De commissionibus. <sup>d<sub>e</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De homicidiis. <sup>d<sub>f</sub></sup> *senioribusque MK<sub>2</sub>*.

<sup>d<sub>g</sub></sup> *Petricoviensi VL*.

<sup>d<sub>h</sub></sup> *Brak w VL*. <sup>d<sub>i</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: De pondere Plocensis equando (*odczyt niepewny*). <sup>d<sub>j</sub></sup> *WB. Kórn. dopisano*: Quo contribucio de laneis exigí debet. <sup>d<sub>k</sub></sup> *publicis VL*. <sup>d<sub>l</sub></sup> *dudum servari MK<sub>2</sub>*.

<sup>20</sup> *Jest to odwołanie się do statutów Kazimierza Wielkiego (De terrigenis ad bellum transeuntibus, damna villanis inferentibus), VL, t. I, s. 32. Por. też następne akty prawne, ibidem, s. 112 i 226 oraz w niniejszym wydawnictwie, nr XVII, I, pkt 1 — sejm walny piotrkowski 1510 r.; nr XXIX, I, pkt 1 — sejm walny bydgoski 1520 r.; nr XXXII, I, pkt 3 — sejm walny piotrkowski 1523 r.*

<sup>21</sup> *Por. wyżej, nr XI, I, pkt 15 — sejm walny radomski 1505 r.*

<sup>22</sup> *Por. wyżej, nr XVII, I, pkt 22 — sejm walny piotrkowski 1510 r.*



decernendum duximus et statuimus praesentibus, ut in exigendis et comportandis publicis contributionibus talis ubique modus et ordo servetur, ut coloni, qui ad publicam contributionem solvendam obligantur, ad dominum vel ad possessorem villae, quam incolunt, ordinis et conditionis cuiuscunque, iuxta conventus decretum et constitutionem factam et in universalibus litteris descriptam comportare teneantur, quam vicissim perceptam domini seu possessores colonorum vel quorumvis ad solvendam publicam contributionem obligatorum ad exactores publicos in terris designatos et constitutos integre et secundum conventus ordinationem per se vel procuratores suos deferent cum ea simul pecuniae parte, quam illi ipsi domini ex decreto conventus in publicam contributionem solvere debent, de qua re tam<sup>dm</sup> exactor illi domino vel procuratori domini pecuniam afferenti, quam dominus seu procurator exactori pecuniam contributionum publicarum capienti mutuo litterariam<sup>dn</sup> obsignatam et subscriptam recognitionem sibi dabunt.

Pluries<sup>do</sup> per subditos nostros sollicitati, ut litteras reponi mandarem super census perpetuos domorum et in defectu litterarum liberam cuique potestatem faceremus eosdem<sup>dp</sup> census perpetuos domorum seu quorumvis locorum, solo annexos, uni ab altero redimendi et perpetuitatem oneris pro certa summa pecuniaria inter se instar reempticiorum censuum commutanti, etsi nunquam assentiri eiusmodi petitioni volumus, quia tamen hucusque ab ea ipsa petitione, quae multam in se<sup>dq</sup> continere videtur<sup>dq</sup> iniquitatem, illos cum non vulgari molestia et fastidio nostro non cessare experimur. Providere volentes, ne in posterum uni ab altero, quod non esset aequum, repetendi vel litterarum super census perpetuos diuturnitate temporis abolitarum productionem expostulandi occasio dissidiorum inter subditos nostros subministratrix praebeatur, statuimus et decernimus cum assensu et consilio totius senatus nostri, ut nemini subditorum nostrorum cuiuscunque status et conditionis existentium liceat quomodocumque directe vel indirecte reemptionem perpetuorum et solo annexorum censuum deinceps verbo vel facto contra veterem illorum possessionem attentare, quos perpetuos esse sola veteri et diuturna possessione et circa venditiones vel inscriptiones bonorum ad census perpetuos solvendo obligatorum, mentione, probari decernimus.

Cum<sup>dr</sup> magna pars reipublicae nostrae in ordine et statu ecclesiastico consistat ecclesiaeque regni nostri per antecessores nostros sint ampliter dotatae, cum ad divinum cultum peragendum et manutenendum, tum etiam ad viros litteratos et idoneos, maxime vero nobiles, promovendos, quorum pauci essent, quibus vel animus vel facultas adesset litteris incumbendi et alia studia, per quae emergitur, sectandi, nisi bona ecclesiastica non solum facultatem vivendi sed etiam opem multis se et suos sublevandi praestarent, unde nobilitas regni, quae potissima est istius regni portio et cuius domus ac familiae partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus, plerumque extenuari solent, praecipuum habeat status<sup>ds</sup> et provectionis suae subsidium et adiumentum ac cum successu temporis multi indigni homines variis artibus et praesertim Romanis impetrationibus<sup>dt</sup> sese ad sacerdotia ingererent ac illa viris dignis et idoneis praeiperent. Antecessores nostri multiplicibus statutis et poenis gravissimis collationes suas et subditorum suorum saecularium asseruerunt ac defenderunt<sup>23</sup>. Sed cum ordinarii regni nostri, qui et magis debent statui et dignitati ecclesiasticae prospicere et melius sciunt personas spirituales ecclesiae et reipublicae idoneas eligere, hactenus nihil haberent praesidii, quo suas collationes et provisiones saltem in mensibus suis adversus Romanas multiples reservationes, accessus, regressus et coadiutorias aliaque id genus impedimenta tueri possent, unde lites et expilationes multarum facultatum sequebantur, nos inter alia, quae toto tempore felicitis nostri regiminis in regno nostro reficienda curavimus, hanc indignitatem et incommodum tam ecclesiarum, quam etiam reipublicae, considerantes, magna cura egimus apud sanctissimum in Christo patrem et dominum

<sup>dm</sup> restam AT. <sup>dn</sup> litterarum MK<sup>2</sup>. <sup>do</sup> W B. Kór. *dopisano*: De reponendis litteris super wyderkoff. <sup>dp</sup> eadem MK<sup>2</sup>. <sup>dq-dq</sup> videtur continere MK<sup>2</sup>. <sup>dr</sup> W B. Kór. *dopisano*: De cortisanis. <sup>ds</sup> statum MK<sup>1</sup>. <sup>dt</sup> interpretationibus MK<sup>1</sup>.

<sup>23</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 54 i 55 — *statuty piotrkowskie 1496 r.*; nr XI, I, pkt 11 i 12 — *sejm walny radomski 1505 r.*; nr XVII, I, pkt 26 — *sejm walny piotrkowski 1510*.

Clementem septimum, sanctae Romanae ac universalis ecclesiae summum pontificem<sup>24</sup>, ut quod nonnulla alia regna et provinciae pro magno et singulari haberent privilegio ac diligentissime observarent, eius Sanctitas nobis et regno nostro cum de Sede Apostolica, tum etiam de universa re christiana bene merito, concedere dignaretur, ut videlicet ordinarii aliaeque personae ecclesiasticae perpetuis deinceps temporibus haberent vicissim cum ipsa Sede Apostolica sex menses liberos, in quibus nullae qualescunque reservationes, nulli accessus, regressus ac coadiutoriae aliaeque impedimenta ex curia Romana provisionibus et collationibus ipsorum obsistere aut illas impedire possent. Quod tandem privilegium de gratia ac benignitate eius Sanctitatis obtinuimus, amplissimis quidem rationibus et clausulis roboratum, prout ex tenore ipsius clarius constat. Cuius exempla ad omnes ecclesias cathedrales sub sigillo nostro transmissimus<sup>25</sup>. Quia tamen<sup>du</sup> tanta est multorum hominum temeritas, tanta rerum et temporum varietas, ut nihil tam solidi obtineri ac ordinari possit, quod non turbetur et labefiat in posterum<sup>dv</sup>, nisi vi et potestate principum defendatur ac manuteneatur, de consilio et<sup>dw</sup> consensu unanimi omnium tam consiliariorum, quam etiam nuntiorum terrarum regni nostri statuimus et decernimus perpetuis temporibus observandum, quod quicumque adversus privilegium hoc tam salubre et tanto labore et cura nostra obtentum per derogationes aut quoscunque alios modos quicquam committere per se vel submissas personas aut quovis alio praetextu seu colore, illud in parte vel in toto infringendo vel contra illud aliquid tentando ausu temerario praesumpserit, vel contra illius dispositionem beneficium quodcumque ecclesiasticum acceptaverit, vel acceptare voluerit, vel pensionem quamcumque seu aliquam quotam ex proventibus beneficii per eum impetrati vel acceptati sibi reservari procuraverit, cuiuscunque status, condicionis, praeceminentiae et dignitatis existat, poenis in statutis serenissimorum Ioannis Alberti et Alexandri regum Poloniae<sup>26</sup>, germanorum et antecessorum nostrorum, contra plebeios ad maiores ecclesias se recipi procurantes et alios impetratores cortizanos editis subiaceat ipso facto. Quippe omnium bonorum suorum communium et privatorum, mobilium et immobilium saecularium, aerario seu fisco et mensae nostrae applicandorum privatione, ecclesiasticorum vero aresto et confiscatione et praeterea extra regnum et dominia nostra bannitione et proscriptione puniendus. Ne autem extraneis personis contra hoc privilegium aliquid tentandi via pateat, si per submissas personas illi contraveniendi facultas relinqueretur, statuimus et decernimus simili poenae et mulctae subiaccere et eo modo<sup>dx</sup> esse puniendos<sup>dx</sup> omnes et singulos praelatos, spirituales et saeculares ac capitula, tam saecularia quam regularia, abbates, canonicos, plebanos, vicarios, beneficiatos et quoscunque presbyteros omnium ecclesiarum, nec non tabelliones, notarios et quasvis alias ecclesiasticas et saeculares personas regni nostri et alias undecunque existentes, quae litteras quascunque suprascripto privilegio regni nostri et praesenti ordinationi contrarias personis externis sive indigenis et aliis quibuscunque cuiuscunque gradus, conditionis et praeceminentiae existant et quacunque praefulgeant dignitate, aliquas<sup>dy</sup> provisiones, in vita reservationes cum pensionibus, surrogationes et quoscunque processus desuper obtentos in se continentes, portarent, afferent et publicarent, palam et privatim aut qui pensiones huiusmodi, celando illas, summarie pecuniis redimerent et cessiones vel resignationes beneficiorum seu iuris ad illa competentis susciperent, vel acceptarent, seu qui monitorio censuras, procuraciones et sequestra contra provisos ordinariorum ob non solutionem pensionum etiam motu proprio reservatarum, in se continentes, quacumque auctoritate

<sup>du</sup> Brak w VL. <sup>dv</sup> imposterum MK2. <sup>dw</sup> ac B. Kórn. <sup>dx-dx</sup> puniendos esse MK2. <sup>dy</sup> alias MK2.

<sup>24</sup> Mowa o Klemensie VII (Juliuszu Medyceuszu), papieżu w latach 1523-1534.

<sup>25</sup> Bullę Klemensa VII z 1 grudnia 1525 r., przyznającą ordynariuszom państwa polskiego swobodną kolację beneficjów, wydał J. Brzeziński: *O konkordatach Stolicy Apostolskiej z Polską w XVI wieku, Kraków 1893, s. 24-28. Zygmunt I starał się o rozszerzenie tej bulli na wszystkich kolatorów i uzyskał w tej sprawie brewe papieskie, o którym wspomina papież Klemens VII w liście do króla z 4 stycznia 1532 r. (zob. AT, t. XIV, nr 2, s. 7). O tym właśnie brewe jest mowa w konstytucji z 1532 r., a nie o bulli z 1525 r., jak przyjął J. Brzeziński (por. AT, t. XIV, nr 23, s. 56, przyp. 24).*

<sup>26</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 54 — statuty piotrkowskie 1496 r., oraz nr XI, I, pkt 11 i 12 — sejm walny radomski 1505 r.

data, admitterent aut exsequi praesumerent vel talium fautores, exsecutores, procuratores aut quosvis sollicitatores promovere, fovere vel aliis auxilium opemve aliquam praebere auderent, vel talia fieri promoverent, poenis supra expressis subiaceant, per locum capitaneos sub poenis in negligentes capitaneos conditis contra tales temerarios transgressores irremissibiliter exsequendis. Datum in conventionione generali Cracoviensi, die sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo [20 I 1532], regni vero nostri anno vigesimo quinto. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium<sup>dz</sup>.

## II. <sup>a</sup>LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM IN CONVENTU CRACOVIENSI GENERALI DECRETARUM<sup>a</sup>

<sup>b</sup>Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres<sup>b</sup>. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris, tam terrestribus, quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quos praesentes <sup>c</sup>nostrae pervenerint litterae<sup>c</sup> et praesertim in palatinatu<sup>d</sup> et districtibus eius consistentibus sincere et fidelibus dilectis salutem et gratiam nostram regiam. Reverendissimi ac reverendi in Christo patres nec non magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles dilecti. Quia suscepto et nondum finito bello cum *woyewoda*<sup>e</sup> Moldaviensi, de quo aestate<sup>f</sup> praeterita insignem victoriam Dei auxilio et cura, vigilantia<sup>g</sup> singulari ac dexteritate capitanei exercituum regni nostri generalis virtuteque militum nostrorum reportavimus<sup>1</sup>, necessarium erat consulere, qua ratione hoc <sup>h</sup>ipsum bellum<sup>h</sup> prosequeretur et terrae Russiae adversus et ipsum *woyewodam* Moldaviensem et Thartarum, alium hostem nostrum anniversarium, praesidiis non destituerentur, indiceramus<sup>i</sup> conventum generalem Cracoviae ad diem festum sancti Nicolai proxime praeteritum [6 XII 1531], in quo post longas consultationes et tractatus communi omnium, tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium consilio et voluntate contributiones infrascriptas pro defensione reipublicae et nervo<sup>j</sup> belli praedicti statuimus et decrevimus.

In primis ex singulis mansis seu laneis agrorum, quos singuli kmethones seu coloni villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum colunt et possident, viginti grossi communis et usualis monetae secundum antiquas quietantias contribuentur, quorum medietatem, hoc est decem grossos solvet dominus et possessor villae, aliam vero medietatem, hoc est alios decem grossos, colonus ad duas temporum ratas infrascriptas, hoc est duodecim grossos pro dominica Iudica proxima [3 V 1532], octo vero grossos residuos pro festo sancti Laurentii proxime futuro [10 VIII 1532]. Nobiles vero, qui colonos seu kmethones non habent, solvet quilibet eorum de quolibet laneo suo seu manso viginti grossos, decem grossos videlicet pro dominica Iudica proxime ventura et alios decem grossos residuos ad festum sancti Laurentii superius expressum. Illi vero nobiles, qui praedia et non laneos habent, computatis istiusmodi praediis in laneos seu mansos, solvent de quolibet laneo seu manso viginti grossos, de medio laneo seu manso decem grossos, de quarta parte lanei seu mansi quinque grossos et

<sup>dz</sup> *WB. Kórn. dopisano*: tenor expectativae regiae maiestatis superius patronatus secularibus personis concedi solit.

<sup>a-a</sup> *Tak w druku urzędowym B. Nar., sygn. XVI, F. 38, w MK1 oraz w AT, t. XIV, nr 24, s. 56. W MK2: Litterae universales contributionum publicarum in conventu generali Cracoviensi decretarum anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo. W MRPS, cz. IV, vol. 1, nr 6108, s. 356; Litterae universales regiae contributionum publicarum in conventionione generali regni decretarum.* <sup>b-b</sup> *W MK1 tylko: Sigismundus etc.* <sup>c-c</sup> *litterae nostrae pervenerint MK1.* <sup>d</sup> *W obu tekstach MK pozostawiono tu okienko.* <sup>b-b</sup> *W MK1 tylko: Sigismundus etc.* <sup>e-e</sup> *litterae nostrae pervenerint MK1.* <sup>f</sup> *W obu tekstach MK pozostawiono tu okienko.* <sup>g-g</sup> *W druku B. Nar. wpisano ręcznie: Sandomiriensis.* <sup>h</sup> *Tu i poniżej: voyeuoda B. Nar.* <sup>i</sup> *egestate MK2.* <sup>h-h</sup> *bellum ipsum MK1.* <sup>1</sup> *iudixeramus MK2.* <sup>j</sup> *Wydawca AT odczytał: nec non.*

<sup>1</sup> *Mowa o bitwie pod Obertynem, stoczonej pod dowództwem hetmana Jana Tarnowskiego 14 sierpnia 1531 r.*